



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Septima die Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

sepulcrum Eiluuiga visum recepit, & plurimi languidi atque ægroti plenam incolumitatem.

6<sup>o</sup>. *De sanctis Traiecten. ad Mosam episc.*

*Ex officio Traiectensi, & Radulpho de Riuo.*

**T**raiecti ad Mosam, commemoratio omnium Sanctorum Traiectensium episcoporum. Sed in Collecta diei septem tantum suis nominibus exprimuntur, quorum nempe reliquæ ibidem in septem capsis requiescunt. Sic enim habet Collecta. *Propitiare nobis, quaesumus Domine, famulis tuis, per sanctorum confessorum tuorum, Seruatij, Monulphi, Gondulphi, Marcini, Valentini, Candidi, & Amandi, & aliorum, qui in presenti ecclesia requiescunt, merita gloriosa, ut eorum pia intercessione, ab omnibus semper protegamur aduersis.* Radulphus autem de Riuo, Tungrensis Decanus, scribit Leodiensem ecclesiam habuisse triginta episcopos canonizatos, qui omnes resederunt Tungris, Traiecti, vel Leodij. *De Canon. & obseruatiis. propositis.* a Corpus tamen S. Amandi est in oppido & monasterio S. Amandi. 17.

Septima die Februarij.

1<sup>o</sup>. *De sancto Chrysolio martyre.*

*Ex descripta historia.*

**C**ominij, natale sancti CHRYSOLII martyris, qui ad Flandros venit, à Marcello papa ad prædicandum missus. Patriam habuit Armeniam, sed amore cælestis patriæ cum Quintino, Crispino, Piato, & alijs, ab vrbe Roma Galias causa prædicationis expetijt, tempore Diocletiani. Ipseque sanctus Chrysolius Tornaco, & alijs Flandriæ locis Christi nomen attulit. Ob quod etiam in *Vrelenghem* coronæ & verticis amissione martyr occubuit, & post martyrium ad lo-

cum qui *Comines* dicitur, per duo ferè miliaria ambulauit. Quo in loco etiam num. quiescit ad Lisam in collegiata ecclesia, à beato Eligio eleuatus: locus enim est Tornacensis diœcesis.

Cur autem episcopus pingatur & honoretur, non ausim affirmare. Fieri potest quod derelicto episcopatu, huc uenerit: aut quod huc venturus titularis fuerit episcopus, aut denique cum Piato presbytero ut episcopus honoratur, quia cum eo fuit Apostolus Tornacensium. Neque mirari oportet, si priuatae ecclesiae de suis Apostolis, et si presbyteris, officium canant Episcoporum, cum etiam Romana ecclesia de Euangelistis legat officium Apostolorum.

2<sup>o</sup>. *De S. Amoluino, episc. & abb. Lobijs.*

*Ex Chronicis, & alijs monumentis Lobij.*

**L**obij, beati **A M O L V I N I**, episcopi & confessoris. Fuit autem abbas & episcopus. Siquidem Lobium locus regius, regia munificentia exstructus, nulli committebatur, nisi primum esset ordinatus episcopus, sicut hoc competebat nouellæ fidei rudimentis. Quæ dignitas perdurauit in aliquot sancti Ursuari successores. Vnde in dicta abbatali dignitate, nonnullæ supersunt reliquiae. Natalem habet Lobij, ubi resedit, & quieuit: item Binchij, quo translatus est.

Die octaua Februarij.

*De S. Maingoldo, mart. & Duce Huiensi.*

*Ex officio Cleri Huiensis.*

**I**N Hoyo, sancti **M A I N G O L D I**, Ducis & martyris, Hugonis regis Anglorum filij. Hic dux de nobili prosapia Francorum & Anglorum duxit